

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Htz: Principi Ansalino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio
- VII. Theophrastus in qua ad Dn. Augustum Principem Ansalinum Romazis causa servestam nerezum M. Petri a Jera.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelin ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensis.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Ansalino sponso scripta.
- XI. Theophrastus in qua ad Dn. Rudolpho Princ: Ansalino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: Ansalini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravintonis et Biomeae.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Desuensem Carmen Graecum.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vbici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrani
- X. Bulla Amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistrum autum pronuntiata.
- XXIII. Epigramma in Cerevisia Servestane Danielis Burchardi.
- XXIV. Dehortatio a Calumnias
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis
- XXVII. Theophrastus in qua ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Gualtero
- XXIX. Trinita Jeverum M. Christiani Galli Italosaxoniae.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Strenis Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johanni Nicolai May.

ACCLAMATIONES VOTIVÆ

Pro

LAUREA APOL-  
LINARI,

Publicâ solemnitate

IN ILLUSTRI LYCEO MARCHICO

à

*Viro Clarissimo & Excellentiss.*

Dn.

M. JOHANNES SCHOSSERO

RHETORICES P.P.

Amplissimi Philosophorum Ordinis p. t. Decano  
Spectabili & Seniore venerabili

COLLATA

*Viris doctrinâ & virtute præstantiss.*

Dn.

ADAMO FORWERCIO Bernburgensi

&

ERNESTO WULSTORPIO Servesta,

Anhaltinis,

*Nonis Octobr.*

Anno Æræ Christian. M DC. XIX.

REPRESENTATÆ

Ab

Amicis, Popularibus, Commensalibus.

Typis Nicolai Voltzij exscriptæ.

ACCLAMATIONES VOTIVE

L. AUREA APOL  
LINARIA

In Augusti...  
Publici...

M. JOHANNES SCHOSSERO

Rhetorice...  
Amplissimus Philosophus...

COLATA  
Pars doctrinae...

ADAMO FORWERGIO BERBURGIO

ERNESTO WESTORPIO SCELTA

Annus... M.D.C.XIX  
Ratisbona

Amplissimus Philosophus...

DE INFULA PHILOSOPHICA

Præstantiss. Dn.

ADAMO FORVVERCIO,

Commensali suo.

**C**UM riget ancipiti tristatum frigore cœlum,  
Ruricola obtuso, vomere scindit humum,  
Arva fodit, campis ferit hordea, tempore ut æstus  
Falciferâ Cererem possit adire manu.  
Evax, antiquis naturæ vertitur ordo,  
Postremum, primum quæ tenuère, tenent.  
Vertit Adamus agros æstiva luce, sed horâ  
Autumni, curva semina falce legit,  
Sedulus exercet, non rustica rura, sed agros  
Aonios scindit, Pieridumq; solum,  
præparat, haut stiva, ferro, vel corporis armis,  
Vomere sed gnævæ sedulitatis arat.  
Flaminis hinc semen, dat spiritualia dona:  
Talia namque metit, qualia quisq; serit.  
Ergò age, FORWERCI, vestitos messibus intra  
Hortos Hesperidum, ac aurea mala cape.  
Protoplastus Adam decerpit mala, sed eheu  
Sese cum natis trufit in omne malum.  
Talis Adamus eris minimè: nam danda fororum  
Aonidum, capiti laurea ferta, tuo.  
Laureolam meritò SCHÖSSERUS porriget, inde  
Cæsariem, Sophias infula rubra teget.  
In Domino gaude, Myrtho fælixq; triumphans  
Ad Dian Sophian, nunc ad aperta via est.  
Ex animo vero, tantos tibi grator honores  
Sintq; salutiferi, pectore & ore precor.

*Εὐνοίας χόρην ἠγαυροῦ ἠγαυροῦ*

Johannes Hütterodius

Esvegensis Hassus.

A 2

IDEM



IDEM  
Doctissimo Dn.

ERNESTO VVULSTORPIO  
AMICO SUO.

**R** Eddere cuiq; suum, monet Ethnicus ille Magister,  
Docente sacro Codice.  
Solvere vectigal, cui vectigalia, honorem,  
Cui conferendus est honor.

Cui tribuendus honor, quæras? virtutibus inquam,  
Ac virtuosis omnibus.

Præmia nam soli virtuti talia sunt:  
Scilicet, honos, adorea.

Quis tibi, WULSTORPI, tribuendos esse negabit  
Σοφῶν honores maximos?

Non mage quis manibus tales ambabus honores  
Suapte sponte conferet?

Dico, Tibi, Clariæ qui gemmula clara catervæ,  
Dignusq; tali nomine.

Tu quasi virtutum generosa quadriga, trahenda,  
In verticem Parnasium,

Castalium ad fontem ducêris, ad ardua Phœbi  
Apollinis palatia,

Hic tibi, SCHÖSSERUS, cana nive tempora sparsus,  
Musarum Apollo Marchicus,

Præmia virtuti tribuet tribuenda, reponens  
Tuum Tiaram in verticem.

Scilicet, humanæ Sophiæ appellabere Doctor  
Sophiam paratus ad DEI.

Gratulor ore pio: faveat cœptis, benedicat  
Tuis Jehova honoribus.

EISDEM.

E I S D E M.

**E**ST aliquid, signis cœli gaudere sereni  
 Propitijs, Cœlum sidera dia rotat:  
 Est aliquid claro nasci de stemmate prolem,  
 Hæc sæpè infauſto ſed pede progreditur:  
 Majus at à primis ſi ſe demancipat annis  
 Aonidùm ſtudijs, Palladis arma colens.  
 Ingenuas etenim didiciſſe fideliter artes  
 Anchora in aduerſis rebus adeſſe ſolet.  
 Artibus ingenuis quaſita eſt gloria, crasſum  
 Ingenium ſtudijs excoluiſſe, ſat eſt.  
 Lampade Phœbæa Claris non præmia deſunt:  
 Poſt mortem doctos ſplendida dona manent.  
 Sic eſt. Sudores tandem comitantur honores  
 Anne labore, Paphi conciliantur opes?  
 Reſpatet exemplis. ERNESTUS Phocidos hortos  
 Expatians capiti myrtea ſerta refert.  
 Non equidem invidit FORWERCIUS ipſe, ſodalem  
 Miratur, Phœbus cui citò verba dedit:  
 Pallas diſtribuit meritis ſtipendia digna,  
 Digna procis ſophiæ præmia Phœbus habet.  
 Præmia digna illis dantur, qui caſtra Sophorum  
 Arripiunt, ſtudijs indiligando bonis.  
 Præmia virtuti ſuccedunt: parta labore  
 Myrta decent, Sophien qui coluère ſacram.  
 Vos quia voluiſtis doctorum ſcripta virorum  
 Sæpius; hinc vobis delphica vitta venit.  
 SCHÖSSERUS Clarij diſpenſat munera montis  
 Præmia doctorum frontium amica, bederas,  
 Unde novi tituli vobis ſurgunt & honores:  
 Hæ ſunt diuitia plebs ſtudioſa tua.

*Maeste animo FORWERC I esto virtute secundus  
ERNESTE & patrio commoda ferte foco.  
Ornate indeptam propenso Numine spartam  
Sic JOVA bonitas multa fluente feret.  
Fama incrementum capiat vulganda per oras  
Vestras, vester honos floreat & vireat,  
Gratulor. Ex animo precor ut mea vota volente  
Adcrescant, JOVA, & gloria vestra diu.*

Faustissima congratulationis  
ergo

Bartholomæus Fabricius SIL.  
accinebat.

~~~~~  
**Q**ui vobis tantos ego non gratarer honores,  
O Juvenes patriæ charo mihi nomine juncti:  
Namq; in bicipiti quamvis non membra levarim  
Parnasso, & sacro biberim de fonte liquorem,  
Attamen haut possum, quin dulces inter olores  
Anser ego strepitem, & vel votis talia præstem,  
Tympora cum vobis decoret Phœbéa Sophorum  
Daphnis, quis tantâ non certet laude beatos  
Tollere carminibus radiantis ad æthera cœli?  
Namq; velut virtus quamvis pulcherrima merces  
Sit tibi: condigno tamen haut sine honore nitescit,  
Splendidior gemma est, quam circulus aureus ambit,  
Veste vir ornatur, Phaleris splendetq; caballus:  
Sic vos Aonidas quamvis, & castra secuti  
Palladis, insigni viguistis laude Sophiæ,  
Attamen & vobis hinc laudis adorea venit,  
Quod, Laurum, Sophies donarit Bacca Brabejum,  
Solemniq;



Solemniq; modo perfecerit inde MAGISTROS,  
Maſti hac laude Viri-Juvenes, felicibus auſis  
Accipite hanc ſpartam atque animo exornate virili  
Nominis in laudem Jovæ, Patriæq; ſalutem.

*Gratulabundus*

honoris & moris

ergò

*adpoſuit*

CONRADUS GERHOLDUS

Serveſt-Anhaltinus.



**D***iversos diverſa juvant. Hinc acer in armis  
Miles, ut accipiat funeſti premia belli,*

*Surgit, ne quicquam valide certamina claſſis*

*Horreſcens. Aliis labor eſt configere cervos.*

*Flectere ludus equos aliis. His grata volucrum eſt*

*Præda. Aliis valido terram proſcindere aratro*

*Eſt cura. Vertunt clavum. Certare paleſtrâ*

*Incumbunt alii: Fiſcellam texere junco:*

*Scrutari nidos: vel vimine fallere piſcem*

*Turpis avaritiæ, nullo virtutis amore.*

*Æſt ò ſpes miſeras hominum, ſolatia vana!*

*O curas hominum, quantum eſt in rebus inane!*

*Vos mage felices: Vos terq; quaterq; beati,*

*Inſignes virtute viri, florentibus annis,*

*Queis meliore luto ſinxit præcordia Titan!*

*Muſæ veſter amor: Sanctarum cura ſororum*

*Mentibus inſedit, quò vel ſub nocte ſilenti.*

*Quando feſſa juvat membra indulgere ſopori,*

*Pervigili dextrâ verſetis dicta Sophorum.*

*Hinc ceu denſa ſolet corpus ſectarier umbra,*

*Gloria virtuti comes eſt: Hinc digna laborum*

*Premia*

*Premia compensat Musarum rector Apollo.  
Magna decent magnos: Magnis vos donat Apollo.  
Ergo exoptat & messis nunc carpite fructus;  
SCHÖSSERUS magnus magnos quos præbet honores.  
Vivite felices, Christo servite; Novumq;  
Quotidiè crescat NOMEN. Sic ritè valete.*

Honoris & amoris

ergo

applauderat

Johannes Majus Cassellanus Hassus.



**S**urgentes video splendenti lumine mentis,  
Queis labor hoc meruit præclarum culmen honoris,  
Ut sint doctores in sacra Palladis arce.  
En commensales surgunt ex ordine nostro  
ERNESTUS WULSTORP, ADAM FORWERCIIUS æque,  
Præ nobis fulgent speciosa laude Magistri,  
Gratulor idcirco tanto vos nomine dignos,  
ADAM fausta tibi simul ac ERNESTE precabor,  
Vobis aspiret cœlesti lumine Numen,  
Ut quod promicuit nobis sub tempore nostro,  
Servetur lumen pastorum mente serena,  
Ne falso semper succumbant vera cachinno,  
Aut sermo placidus turbetur voce loquaci.

*Honoris & benevolentia*

ergo

Casparus Prætorius Putlitzensis  
Marehicus.



His; sed ab adverso stetit & tua signa vicissim,  
Lustravit claris lux tua luminibus.  
Principis emânans in alacrem gratia servum,  
Prima voluptati delicioque fuit.  
Munîa quæ graviora geris, quæ ritè ministras,  
Et labor iniuncto deditus officio.  
Indè decus latè fulgens & gloria 'parta  
Quæ propè virtutes ceu comes ire solet,  
Dicta Deo pietas, mens non nisi recta, merum, Cor,  
Os, teres, & nullo vulnere læsa fides,  
Musica difficiles obtundere idonea curas,  
Quam fidibus pariter percolis & labiis:  
His ic̄ta est stimulis teq; & tua vota secuta,  
Legitimis hodiè subjuga foedoribus.  
Disce quid obtineas; donum Theodora Deorum est,  
Sed Maria ex aliquâ nomen amaritie,  
Quod-sit-cunq; , tuum est animo perferre virili,  
Et de propitio non dubitare DEO.  
Aufferet è medio noxas , meliora rependet,  
Quas, decet, usq; boni consuluisse , vices.  
Intereâ similes numerabis utriq; parentum,  
Dorotheos foetus atq; Valerios.

*Ioannes Försterus Med.  
Reip. Cothenaarum.*

---

VI.



I mihi, si, VALERI, non fraudi audita referre,  
Dicere gestirem thalamo non absena vestro:  
Cùm patrius Princeps, Ianus cū fratre Georgus  
Rudolpho venatum, ut mos heroibus, iret:  
Teq; tuo officio fungentem rite videret:

B

Fronte

Fronte serenata aspiceretq; , & quæreret ultrò:  
Quando erit, uxorem ut ducas & age fare Valeri!  
Visus es ipse sub hæc demisso lumine fari:  
Inclyte Teutoniæ princeps! quo sospite, nunquam  
Res ego Anhaltinas lapsas fractasque fatebor!  
Seria si ioco, heroque licet componere servum,  
Tunc Monagi choreas ducunt cum præfilit Abbas,  
Et Domini exemplum decet observare ministros.  
Sicne igitur Monagi saltant, cum præfilit Abbas?  
Dic age, dic sodes, facunde, jocunde VALERI!  
Siene, inquam, in vulgus manant exempla regentum?  
Ut, quoniam Ascanius divino numine Princeps  
VVelforum illustri duxit de stirpe maritam;  
Tu quoq; quem scribendo dextera, Musa canendo,  
Quem spectata fides, quem tuta silentia rebus  
Præstita secretis commendant Principis aula,  
Protinus associes consortem foedere vitæ,  
Omnes quæ tecum fatis felicibus annos  
Exigat, & pulcrâ faciat te prole parentem.  
Te natale solium non fovit; patria civem  
Non curat; quanquam, ô, quæ curat patria civem?  
Te pater & mater liquere tibi; imò parentum  
Nomen inane foret; nisi anus, vidua, unica MATER  
Non sperata sui veniens ad gaudia nati,  
Seq; suumq; genus tantâ procerumq; ducumque  
Cincturum videat circumfusumq; coronâ,  
Interea omnipotens te hominâ PATER atq; Deorû  
Asserit ipse, suæ fidei curæq; relictum,  
Patronos urbem, patriamq; novam, atq; parentes  
Uxoremq; tibi cunctis, fundum atque penates  
Accumulans; dum te clementi lumine Princeps  
Respicit Ascanius, dioc; favore tuetur.  
Quid levius PENNA? calami quid vilius alga?

Multos

Multos penna tamen secum tellure levatos  
Sublimavit agens, vexitq; per ora virorum,  
Dotibus eloquii claros, fandiq; potentes;  
Hæc sunt hæc divi Maje talaria nati,  
Quis Deus, & numen sanâ ratione modoq;  
Quilibet esse potest, hominum servator & ultor;  
Seu linguâ valeat, seu rem decernere scriptis,  
Sic petitur cœlum, non, ut super additus Ossæ  
Sidera Pelias pulset trepidantia vertex.  
Pennaq; ovat, metuens solvi: post fata superfl'es  
Penna velare facit, terras, mare, & æthera tranans.  
Pennigeris etiam gaudet Deus ipse ministris;  
Præcipue Sponsam docti manus æmula SCRIBÆ  
Davidico Sponsæ commendat carmine Christum.  
Hoc opus est tantum, MEDIVM tenuisse reductum  
Vtrinq; errorum; ut ne humili nimis aut nimis alto  
Ire gradu optemus. Multi resare videntur  
Propter humum, tuti nimum timidiq; procellæ;  
Quo malè Grammaticum passim audit nomine vulgus,  
Ausum vix humili plumas extendere nido,  
Vix præter calami crenam, Alpha & Beta professum.  
5 Icaros auti quidam tentare volatûs,  
Ulteriusq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,  
Remigio alarum confisi, & præpete nisu,  
Altius, heu, carpere viam, arcanisq; Deorum  
Admissi, indociles digito compefcere labrum,  
Tantalios sitiêre lacus, miseriq; dederunt  
Audacis facti poenas, pennasq; relapsi  
Ah! nimum serò deploravere solutas,  
Quàm vellent trivisse rutrum, durosq; bidentes,  
Tribulaq; stivasque; & iniquo pondere rastros!  
Fata obstant, nec habet Fortuna noverca regressum.  
Felix! qui summum pariter vitavit, & imum,

B 2

Inter

Inter utrumq; means, extremaq; damna refugit.  
Qualis tu medio volitans tutissimus ire  
Hactenus es solitus, cursum moderantibus astris,  
Maeste animo, quem rarus habes! & quod facis ultrò,  
Fortunam reverenter habe! cole sacra, fidemque,  
Ac Domini exemplum, longo licet intervallo,  
Sectare, & porrò, quâ fas, imitare decenter,  
Tâm certiq; Ducis vestigia pronus adora,  
Sic Thalamus Calamusq; tibi, sic FINIS ut orsa  
Se fortunatim, feliciter, & bene vortant.

*Albertus Voitus Corrector  
Schola Servestana f.*

V I I.



Micat è cunctis PROPORTIO grata creatis:  
Certa lege, tribusq; modis, hoc quicquid in or-  
be est

Quæ constare sibi docet & durare magistra,  
Non nisi cum interitu rerum lædi potis, & quæ  
Læsa facit fursum terri omnia, cuncta deorsum.

Sed nec ARITHMETICÆ debentur prima, nec illi  
Quam describendi terram doctrina sequuta est,  
MUSICA sola nimis non est disiuncta, nec æquat  
Omnia, sed reliquas quasi temperat, inde BODINO  
Paret, quæ socia est, humanæ regula vitæ.

TV quoq; qui sociam vitam, Philomuse VALERI,  
Valde probas, Nympham propriam TIBI iungere voto  
Quippe paras stabili sociam, non impete vano  
Hæris, at harmonicis ducis rationibus aptam.

Nulla TIBI in parili, in cantu TIBI nulla voluptas  
VNISONO,

VNISONO, ceu Bartholomæi ad festa Lyristæ  
Hic strepitant, nomen queis turba GREGARIA plebis  
Cum mercede dat, exactis SERVESTA quiescit.

QVINTA quidem licita est nosti, sed SÆPIVS vti  
Musica lex vetat, auditus quoq; respuit acer.

TERTIA quæ superest, hanc hanc tenuere beati,  
Illa sui similes voces præcedit, abusus  
Nescia, siue BASI sit proxima, siue remotè  
Octavam DECIMA & Quintam transcendat in altum.  
Hanc tu præ reliquis, si quod FINALE meretur  
Omnia tunc bona sunt, formandum est, sæpius audis.

Hac ratione habita TECVM TV, corporis alti  
Electum corpus voluisti, TERTIA quod sit  
PORTIO iusta TVI, fallor, quod parte tenellum  
Excelsus superes tanta. Hoc cantare frequenter  
Et pulsare fides hoc FINE, ut gratior esset  
Quæ Venus atq; TVIS membris accommoda, scires?  
Sic excusaris. Sed Te inferiora secutum  
Prodis, & haud dubiè adjicientur plura recenti  
CLAVI siue TONO, donec perfecta resultet.  
Musica, grata DEO, mortali accepta, parentem  
Quæ TE laudet & auctorem, quæ cœlite dignum  
Reddat, & HARMONIÆ superæ annumerarier omnes.

Sic TV, sic TVA, sic si qui nascentur ab illa  
FINE bono, sed quisq; suo, omen inesto, fruantur.

*Julius Etzlerus.*

---

V I I I.

**A**ud Ego quorundam rectâ sine mente ruentum  
Læva probem, non læva probem de Illustribus Aulis  
Iudicia ex proprio tractantum quæq; cerebro.

B 3

Quos

Quos tamen ignaros videas hominumq; locorumque  
Ignaros morum, quos Aulica vita requirit.  
Queis vitæ quodcumq; genus concedere, quantum  
Quas videas coelo stellas fulgere sereno,  
Splendori Solis cunctas concedere, certum est.  
Hos, inquam, Aularum mores virtutibus amplos  
Omnibus, hincq; viris Magnisque Bonisque probatos  
Injusti Rerum censores turpiter audent  
Taxare, & falcem in peregrinam mittere messem.  
Atque hinc, verè olim quæ de Gentilibus illis,  
Qualis nempe Neronis, vel Caracallæ erat, aulis  
(Aulis non-aulis sine vero Numine caulis,  
Vivere ubi bibere est, ubi Bacchus idem quod Apollo,  
Doctor ubi coctor, jus est jus, atq; bilanx lanx)  
Lucanus cecinit, conficto reddere sensu  
Non dubitant, illa huc torquentes: Exeat aulâ,  
Qui vult esse pius. Verùm minus ista Poetæ  
Propositum spectare scopum, quis, quæso, negarit,  
Sicq; mari terram, coelo miscere profundum?  
Namq; ibi quot lateant mala, quantis fraudibus Aulæ  
Gentiles scateant pateantq;, intacta relinquens  
Prætereo, quid enim nec quicquam ingrata revolvam?  
Quin sequar interea Regesq; Ducesq;, Iehovæ  
Cura quibus Verbum est, quos sacri Numine Flatus  
Non cæco tantùm Rationis lumine ductos  
Ordine quæq; suo mandare, vetare videmus.  
Ingrediare igitur, quæso, ingrediare beatas,  
Quisquis es, horum aulas, nec quicquam offenderis unquã,  
Dicere quod possis haud omni ex parte beatum.  
Arce sedet Pietas, Virtutes ponè sequuntur  
Quot sunt cunq; omnes, quas supremum obtinet inter  
Iusticia alma locum, sine qua nec Principis Aula  
Nec populi aut urbes in honore & flore vigerent.

Hæc



Hæc igitur Virtus, Virtus hæc maxima (Mundus  
Qua sine non-mundus, Caula Aula vocanda) supremum  
Atq; locum proprium in generosis obtinet Aulis.  
Primus adest Princeps reliquis dux omnibus unus,  
Ad cuius nutum Illustris componitur Aula;  
Consilio sequitur quem docta corona virorum  
Ordine Magnorum, Sapiens Sanctusq; Senatus:  
Qui, quod cuiq; suum est, tribuunt, adimuntq; vicissim:  
Quod non est, æqua lance omnia distinguentes.  
Iusticiam sua quæq; locoque & tempore virtus  
Subsequitur, quarum si illustres saltem ego strictim  
Enumerare velim, haud mihi verba tot, haud mihi charta  
Sufficeret, quarum tot sunt, quot Pontus arenas  
Volvit, quot picto cernuntur sidera coelo.  
Tollito nunc Aulas illustres tollito, Solem  
Mundo sustuleris, quo cuncta movente moventur!  
Sed quò progredior? Quod res est, dicere pergo,  
Illæ magnificis dignæ sunt laudibus Aulæ,  
Aulici vbi exemplum Regisq; Ducisq; sequuntur.  
Quod tu, (quà Dominis fas composuisse ministros)  
Ritè facis, VALERI, Illustris secreta recondens  
Principis Anhalti, Magnorum & gesta virorum,  
Namq; RODOLPHVS vbi Princeps Duxq; Ascanis oræ  
Illustri de stirpe satam natamq; Deorum  
DOROTHEAM-HEDVVIGEN Forma & virtutibus am-  
Insignem, patriæque eductam moribus Aulæ (plis  
Connubio sibi coniunxit propriamq; dicavit:  
Idem DOROTHEAM-MARIAM tibi, more puellam  
Haud equidem, sed amore tuam, mox more futuram  
Conjugio, Illustris Servestæ in Principis Aula  
Magnorum in Procerum conspectu, jungis honesto.  
Quid laudes huc ergò tuas, quid dona Mariæ  
Virtutesque iuuet multis subiungere Sponsæ,

Quas

Quas non urbs Sorabum modò, verum Aula ipsa probavit.  
Unicum adhuc, Magnus quod fecit Horatius, addo,  
Principibus placuisse viris non ultima laus est.

*Petrus à Ithena Serve-  
stanus.*

I X.



**V**IR SALVE nove, tempus adest, quo numine di-  
A rcta tori dextro federa Sponsus inis, (vum  
L æta igitur ferat hoc ut præsens gaudia tempus,  
E st te fas humili corde rogare Deum.  
R eadè igitur votis animo, linguisq; faventes  
I ungunt vota tuis cum precibusq; preces.  
V erum sum quoniam vero tibi iunctus amore,  
S ic ego vota tibi nec mea abesse sinam.  
R em facis acceptam, thalami quod fedus inire  
V is sacrum sacri, qui regit astra, Deo.  
D ulce tori fedus sanxit, quare ille probabit,  
I mperium mundi qui sine fine tenet.  
E st hinc cum precibus tentanda cuilibet hæc res;  
G ratus namq; DEO sunt odor ulque preces.  
E t nisi res hæc sit precibus suscepta pudicis,  
R itè potest nemo faustus & esse pius.  
V ellet cum Patriarcha suum dimittere servum  
S anctus Abram patriæ regna in avita suæ.  
C oniugem uti gnato ex consanguinitate pararet,  
V ota precesque suo nuncupat ille Deo.  
M issus (ait servo) tibi cœli è culmine celsi  
S idereo adsistat duxq; comesq; viæ.  
P rimitus & compos voti Isaac, posset habere  
O ptatam ex patriis ædibus, opto, viram.

Non

**N**on mora, fidus heri, ceu sint sua, iussa capeffens  
**S**ervus lata suo pectore vota facit,  
**A**mbulat, & quaerens iussis imponere finem  
**D**e properanter heri tecta adit alta sui.  
**O**mnia fausta Pater, mater, fraterq; precantur  
**R**ebecca, ad sponsum quando abit ipsa suum,  
**O**mina non ventis data sunt nec vana fuere  
**T**alia, at eventus vota habuere bonos:  
**H**ic certe est doctus propriis eventibus Isac  
**E**xcelso curae facta fuisse Deo.  
**A**st salvus remeans Dominiq; allapsus ad aedes  
**M**atronam servus sistit herilis hero:  
**A**ureus ut gnati sit amor faustusque, minister  
**R**ursus sollicitat corde precante Deum.  
**I**am quid praeterea memorem? sic ipse Tobias  
**A**d thalami tædas omnia fausta tulit,  
**A**lmoden sanctâ prece, cum suffimine pellens  
**F**ecit, ut angelica tutus abiret ope.  
**I**am, pie sponse, etiam (nam fas ego duco) **VALERI**  
**N**unc tædas læto gratulor ore tuas.  
**E**t precor ut vestro, cui sunt connubia cura,  
**C**oniugio Christus dexter adesse velit.  
**V**tq; fuit praesens tædis, quas Cana palustris  
**M**iraclo visa est concelebrare novo;  
**Æ**moniumq; bibit, Christi, nova munera, Bacchi,  
**O**mnein quem laticis suppeditavit aqua,  
**S**ic etiam sponsis his dexter adesto novellisq; bibi  
**V**tq; precor semper sit sine felle domus.  
**I**nnumeros numerent illi, fac, suaviter annos,  
**V**tq; ferat castus pignora multa torus.  
**A**litibus, socii qui damnat iura cubili,  
**T**urpes carni voris praebet ille dapes.

D enique quas iam nunc ego vero pectore fundo,  
(I pse etenim potis es) perfice Christe preces.  
E rgò dilecta cum Sponfa Sponse valeto,  
S ymbolum & integri hoc carmen amoris habe.

*Christianus Faber Cothenus.*

*Ερεός. Χον* ejusdem auctoris.

Valerlo nVpsit Dorothea à Fine VenVfia,  
Vt Vasto TaVrVs Martll ab aXe nltet.

X.



Onnubialis amor typus est arctissimi amoris,  
Quo CHRISTVS ipse diligit Sponsam suam;  
Nomine quæ sancto ter sancta ECCLESIA sanctis  
Vocatur & sanctos requirit incolas.  
Namq; suæ sponsæ ceu sponsus flagrat amore;  
Sponsiq; sponsa amore flagrat unice:  
Sic ardetq; suæ sponsæ, ardebitq; perenni  
Amore CHRISTVS, Filius Dei vnicus.  
Ceu verbis inter sese sua foedera casti  
Arrhisq; firmant mutuis bene coniuges,  
Quæ divulsus amor citius non solvere possit,  
Mors hæc priusquam solvat, hæcq; dissipet:  
Sic verbo ipse suo, gemino sic foedere CHRISTVS  
Fidem suæ sponsæ suam dat cœlitus;  
Copulat hancq; sibi, firmo hanc sibi iungit amore,  
A vite vt instar palmitis dependeat,  
Omnia coniugibus ceu sunt communia, quicquid  
Habent boni, cari atq; rari possident:  
Sic quoq; sic CHRISTVS, quicquid carivè bonivè  
Habet, fovet, dicatq; id omne Ecclesiæ.

Ccu

Ceu natas natosq; feracia pignora lecti  
Feracis, ipsi coniuges dant plurimos;  
Sic Evangelii CHRISTVS sibi voce perenne  
Collegit agmen, colligitq; & colliget.  
Provida ceu Nuptam defendit cura mariti  
Nec dira duræ fortis hos vis segregat:  
Sic regit atq; tegit, sævo sic turbine rerum  
Servat suos CHRISTVS nec illos deserit.  
Ceu nihil est odio maius zeloq; mariti  
Sacrata frangi iura cum cernit tori:  
Sic quoq; perfectis odiis Deus arbiter odit  
Qui Numina colunt picta, ficta nomina.  
Omnia quæ poterunt proponere rectius illis,  
Queis dulce Matris, queis Patris nomen placet.  
Ergò facis rectè, præstans virtute VALERI!  
Quod te cupis connubio iam subditum,  
Associasq; tibi Sponsam, uer omnia sponsam  
Carissimam, bellissimam, lectissimam.  
Cuius inauratos optet sibi Cynthia crines,  
Decusq; frontis appetat vel Cypria.  
Cuius fideriis contendunt lumina stellis,  
Cuius labella dulciora Nectare.  
Cuius Sithoniam superant albedine dentes  
Pruinam, & ora pulchriora sunt rosis.  
Quam Genus atq; Venus decorant, quam gratia linguæ,  
Quam mentis ornant, quamque dotes corporis,  
Quam probitatis amor, studium quam jactat honesti,  
Quam prædicat vitæ atq; morum suavitas.  
Denique iam paucis complectar ut omnia verbis.  
Quibus superbit Sponsa, VALERI! tua.  
Virtutis speculum, speculum est Pietatis, & vnum  
Te elegit, vnum te maritum diligit.

C 2

Quare

Quare age, DOROTHEÆ. MARIÆ brachia collo  
Circunda, & huic foli fave, solam fove.  
Rebus in adversis huic sis quoq; dulce levamen  
Solamen & vitæ suæ sis vnicum.  
Hæc q; tibi semper sit pergratissima coniux  
Iuxta q; summum cara sit tibi Deum.  
Tu q; tuum Sponsum complectere Sponsa vicissima  
Amore mutuo, & favore mutuo.  
Rebus in adversis illi sis dulce levamen  
Solamen & vitæ suæ sis vnicum.  
Vos vestrumq; torum Concordia munit, & vos  
Vestrasq; mentes uniat Fides sacra,  
Vivite felices; cedent felicia cuncta  
Vobis; replete prole felici torum.  
Sic bonitas Domini vos circumfundet, vt vnâ  
Mente celebretis Numen & Nomen Dei.

*Christophorus Lelmius B.*

XI.

**T**E voco Coniugii sanctissime præses & auctor,  
Cætera Numina, nomina vana, & inane abite;  
Non etenim vestro fixum stat Marte vel arte  
Coniugium, æterno verum instituyente Iehovâ,  
Qui cum totius quæ machina continet orbis,  
Humida, sicca, calentia, frigida, mollia, dura,  
Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum,  
Hinc genus aligerum, pecudesq; , ferasq; creasset,  
Et tandem ex limo terræ formasset Adamum;  
Mente volutabat præsens sapiente, quod vnus  
Solus inutiliter concessæ tempora vitæ  
Duceret, adq; operas impar fores omnes.

Ergo

Ergò ait, huic vitæ sociam, comitemq; laborum  
Iungam corporibus qui sint duo, mentibus vnum:  
Dixerat, hinc placidè somnos immittit Adamo,  
Illius & dulci requiescere membra sopore  
Efficat, ille iacet somnoq; accommodat artus,  
Dumq; recumbit humi, secum altâ mente revolvit  
Illa nova, & miranda sui monumenta parentis,  
Scilicet, vt potuit tam magnum excudere mundum  
Vi dicente modò, & firmam cum pondere terram;  
Vt simul astrifero radiantia lumina Olympo  
Indiderit, mundoq; suas diffundere flammâs  
Iufferit, atq; suo terras ambire meatu.  
Inprimis illa in reliquis coniunctio bella  
Foemellæ, atq; Maris, quam lege atq; ordine certo  
Sancierat Deus, ante oculos versatur Adamo,  
Vnde statim exoptat similem, sociamq; puellam.  
O utinam tali posses quoq; vivere lege,  
Et sociam coniux cum coniuge ducere vitam.  
Nam quid solus ages? quid tanto solus in orbe  
Efficies, nî res operam quæ præstet ad omnes  
Sit foemella tibi, cuiusq; in amore iugali  
Vivas, & proprios videas aliquando nepotes?  
Adfuit his votis præsens, & præbuit aures  
Cunctarum omnipotens rerû Dominator & Auctor.  
Namq; hic dum dormit, solam de corpore costam  
Eximit, atq; nova replet loca carne lehovah;  
Vnde statim apparet pulcris spectanda capillis,  
Insignis facie, atq; omni sine labe puella,  
Quam simul ac somno evigilans speculatur Adamus  
Talibus exorsus, lætanti pectore fatur:  
O de carne mea caro, & ossa affinia nostris  
Ossibus, æque illis verè ædificata virago!  
Salve opus ex nostro formatum corpore & osse,

Salve nostrorum comes & focia vna laborum.  
Sic ait: & voto fruitur, potiturq; puellâ.  
Coniugium hoc primum est, genus vndè exordia nostrum  
Traxit, quodq; sua firmavit lege Iehovah,  
Scilicet vt socii casta essent foedera lecti,  
Nec velut in brutis regnaret tetra libido.  
Quis furor est igitur Iehovæ opponere legem?  
Cædite Papicolæ Monachorum rancida turba  
Cæde procul: nihil hic tua lex de cœlibe vitâ  
Iuris habet, præstant superi mandata Tonantis;  
Quæ quia nunc sequeris, præstans virtute VALERI,  
PRINCIPIS exemplo pietate Illustris & arte  
RODOLPHI nulli veterum virtute secundi,  
Dum sequitur magni vestigia rara parentis,  
Nec non magnanimos, BELLONÆ fulmina fratres,  
HEROAS virtute graves, gravidosq; triumphis,  
Quorum, dum pietas, dum Musa, Themisq; vigebit,  
Semper honos, nomenq; pium, laudesq; manebunt,  
Et PATRES Patriæ meritò colet Ascanis ora.  
Quis satis hoc cœptum celebret? quis laudibus æquis  
Accumulet? sint ora licet resonantia centum,  
Nox siquidem potius, quàm vox desistere cœptis,  
Cessare ac tanto mandaret cardine laudum.  
Nam si legitimi rimeris commoda lecti,  
Tantus sese offert campus, tamq; vber acervus,  
Vt nequeas tenui complecti singula versu,  
Tolle torum; & quis erit candor, quæ gratia, amorq;  
Quæ pietas, quæ cura precum, quæ deniq; virtus?  
Tolle torum; & simul est sublata Ecclesia Christi.  
Nam torus humanæ divina Academia vitæ est,  
Vndè suas traxitq; trahitq; Ecclesia plantas.  
Tolle torum; & quid erit mundus nisi tristis cremus?  
Ni statuas tetrae foedæq; libidinis ignes,

Quis



Quæis gravius nullum scelus execratur Iovah,  
Hæc VALERI tecum repurans, & mente revolvens  
Non dubitas, quin jura tori potiora iugalis  
Coelibe sint vita, quâ rasæ turba catervæ,  
Gaudet, quin potius tibi principis esse sequendum  
Exemplum censes, cui nunc tota Ascanis ora,  
Cui patres, juvenes, cui curia, templa, scholæq;  
Applaudunt, faustumq; torum, imperiumq; precantur.  
Quæritur ergo tibi præstante pudore puella,  
Quam pietas decoret, quam forma, genusq; celebrent.  
Laudibus his reliquas audis superare puellas  
DOROTHEAM-MARIAM, LAVRENTI-A-FINE paren-  
Sanguine progeneratam, cuius probitasq; fidesq; (tis  
Nota patet, Musisq; negat ditescere nostris.  
Hanc petis, haud frustra q; petis, petis alite dextro,  
Quamq; petis te præda manet, captamq; fatetur,  
Seq; tibi æterno captivam foedere iungit,  
Gaudens quod talem sit nacta puella maritum:  
Tu gaudes talem te nactum Sponse puellam.  
Quam Genus & Venus & Pietas super omnia dicit.  
Virilis est pietas, & habet promissa salutis  
Huius & æternæ; ceu sacra Dei tuba cantat:  
Hæc igitur vestræ sit norma & regula vitæ.  
Sic bona coniugii qui vestri est fautor & autor  
Cuncta dabit vobis, vitæ quæ postulat usus:  
Sic aberunt lites, aberit contentio, luctus,  
Sic aderit blando semper concordia vultu,  
Sic vitam pylios placidè ducetis in annos.  
Hæc precor æternus precibus det plura precantis,  
Multiplicetque suo mea vota favore Iehovah.

*Johannes Sturmius*  
*Cothenus.*

XII. Vnde

**R**gò ne de sim votivo carmine Sponso,  
 Qui mihi sincera est iunctus amicitia.  
 Conditor omnipotens, te, qui connubia  
 Sanxisti, toto pectore & ore precor: (primus  
 Sponsis hisce novis semper digneris adesse,  
 Ducere ut innocuâ tempora pace queant:  
 Sacra columbarum mentes concordia neēt at,  
 Absint à dulci jurgia iniqua toro;  
 Vobis una fides sit, sit mens una duobus,  
 Vna salus, unum pectus, & unus amor,  
 Vestra dolor nullus perturbet gaudia vestra  
 Sit, precor, innumerâ prole beata domus.

Iohannes Maior VViteberg.  
 N. P.

FINIS.



Id 4206  
g

ULB Halle

3

004 167 287



f  
Sb

Sik. 18 u. 25 nicht in FICA,  
da Hschr. +90


8-14


10. Aug.  
Jul. 01

24 VD 17

M







XXXI.

ES VOTIVÆ

APOL

RI,

mitate

EO MARCHICO

*Excellentiss.*

SCHOSSERO

ES P.P.

m Ordinis p. t. Decano

re venerabili

ATA

*virtute prestantiss.*

CIO Bernburgensi

TORPIO Servesta,

inis,

*ctobr.*

n. M DC. XIX.

NTATÆ

, Commensalibus.

oltzij exscriptæ.

an 30

